

y In Differt. de orig. Philistib.

z 2. Macc. 3.9.

a Vide Ephorum apud Strab. lib. 10. pag. 331.

b Plato lib. 1. de Legibus Arist. lib. 2. Politic.

c Vide Plutarch. in Pyrrho.

d 1. Macc. 12. 21. Inventum in Scriptura de Spartiatis & Judais, quoniam sunt fratres &c. Joseph. Antiq. l. 12. cap. 5.

raque Urbium, montium, & amnium hujus Insulae nomina Hebraicam sive Phoeniciam originem referunt; & Insulam Caphtor unde Amos 9. 7. Philisthaos accersit, ipsam esse Cretam alibi (y) demonstravimus. Saepè etiam ea, quae Hebraeis peculiariter habebantur, Palaestinis Philisthaeis tributa sunt; quorum gens Macchabaeorum aetate adeò obscuri nominis erat, ut facile contigisse poterit, ut Lacedaemones, qui in Aegyptum venerant (z), ubi originem Philisthaeorum poterant didicisse, eos populos cum Hebraeis eà aetate victoris Judae Macchabaei inelytis confuderint. Dissidium vertebatur olim inter Cretenses, & Lacedaemones, utri ab alteris leges suas imitatione expressissent. Primum receptae legis honorem sibi vindicabant Lacedaemones; se verò authoribus accepisse Cretenses (a). Frustra tamen illi, cum Cretensium leges ad Lacedaemones derivatas constet; Lycurgus enim Spartanorum Legislator, post longiorem in Creta moram protractam, leges & politiam didicit, quam deinde suos edocuit [b]. Urbes quidem nonnullae Cretensium deductae à Lacedaemonia coloniis frequentabantur; sed numquid propterea Insula universa incolas legesque debet Lacedaemonibus, cum maximè apertissimè constet, Lycurgum multò quàm Legislatorem Cretensium recentiorum fuisse?

Sed in ea fuisse persuasione Lacedaemones, sat nobis in praesentia; fieri enim poterat, ita semel persuasos illos, simulque reputantes Philisthaeos Cretensem originem referre, eosdemque Philisthaeos cum Judaeis praeposterè confundentes, communem se cum Judaeis patrem Abrahamum habere reputasse. Utriusque populi Leges, mores, & disciplina satis conveniebant. Ut quid igitur persuaderi hisce non potuisset Araxus Rex Lacedaemonum, quippe qui in Creta, quò venisse constat (c), Judaeos & Spartanos ad Cretensem originem spectare audierat, ut datis ad Judaeos literis sive certior eà de re fieri postularet, sive ut opinionem illam inter duos populos magis magisque foveret? Neque affirmandum mihi susciperem, Regem illum eorum, quae scriberet, firmam persuasionem teneri: verum cum ea sit hominum in rebus ejusmodi indoles, ut quae sibi maximè probantur faventque, in ea maximè inclinent; idem Rex opinionem illam promovit, nullo alio fultam argumento, quàm Scripto quodam, cujus nec titulum laudat, nec Authorem (d). Judaei verò in ea quam ad Spartanos pluribus post annis Jonatha gentis Principe dederunt, Epistola, narrant tantummodò, Oniam Summum Sacerdotem, missas à Lacedaemonibus Epistolas de cognatione & foedere utriusque gentis summo honore accepisse; se verò, quanquam alioqui nullius externae opis indigentes, utpote quibus Sacri Libri pro omnibus essent, committere tamen noluisse, quin missa legatione veteris amicitiae foedera innovarent. Tradit Herodotus lib. 1. cap. 105. veteres Insulae Cytherae incolas originem inde suam

repetisse, ubi Ascalon (urbs Philisthaeorum) sita erat. Porro Insula illa velut haereditaria Lacedaemonum habita, Spartanis Magistratibus parebat. E Cythera & Lacedaemonibus velut una eademque gens coaluerat; potuit ergo Cytheraorum origo Lacedaemonibus deputari.

Hanc in epistola Jonathae sententiam, longè aliter interpretatus Josephus, in eum sensum verba exponit, quasi Judaei idèd se nullius externi testimonii indigos dicerent, quippe qui hanc cum Judaeis & Spartiatis necessitudinem non aliunde discere expectarent, sed Librorum Sacrorum testimonio satis haberent exploratam. Suffragantur Josepho doctissimi plures Interpretes; nec monstri loco habendum est, Judaeos hanc Spartanorum ex Abrahamo originem cognitam sibi ex Libris Sacris credidisse. Semel enim constituto, quemadmodum & pluribus non indoctis Interpretibus creditum semus] Lacedaemones Idumeam sive Arabicam originem referre, illud statim consequbatur, ex ipsis Scripturis utriusque populo eundem Abrahamum patrem probari.

Utumque tandem res habuerit sese, illud tamen constat, Scripturas Sacras, quae hodie in nostris manibus, eadem planè quae olim in manibus Judaeorum versabantur, nihil habere satis explorati de utriusque gentis necessitudine. An verò aliquid in eorum scriptis Lacedaemonibus suppeteret, cum nostrae aetate vetera illorum plura monumenta intercidissent, iudicium suspendendum est. Ipsi planè originem suam melius quàm ceteri omnes nosse debuerant; & cum de historiis ejusmodi agitur, equum est, ut singulorum populorum peculiaribus traditionibus deferatur. Id enim communis equitatis ratio postulat, ut nisi apertissima & invictissima obstitissent argumenta, de veteri possessione, in iis quae ad originem & affinitates spectant, populum sive familiam deturbare iniquum habeatur. Ipsi tamquam depositum historiaram & antiquitatum suarum fides commissa est.

Tanta alioqui est Judaeos inter & Lacedaemones rerum omnium affinitas, ut ex eodem ambos prognatos patre quisque facile persuaderetur; neque alii agere in eandem inducerentur sententiam, alii, inquam, quibus difficultatem illam sedulo discutere non vacat. Apud utrumque populum illè in dimensionibus agrorum leges servabantur, ut portiones equas ex equo obtinerent; interdictumque singulis, ne perpetuo jure sibi aliorum possessiones acquirerent. Haec servatae apud Hebraeos in mancipia leges, ut nemo ad perpetuam servitatem cogeretur. Libertatis suae equè studiosi erant Lacedaemones & Judaei; dos in connubiis nec apud Spartanos, nec apud Judaeos à puellis viro solvebatur. Commercia à Judaeis equè ac Lacedaemonibus aliena. Vita frugi, & Senes utriusque in honore; usus frequens balnearum, unctioinum, & studium in leges moreisque sanctum & inviolabile. Haec simul omnia facile in eam persuasionem inclinant, utrol-

e Clearchus Philos. Aristot. Discip. apud Joseph. cont. Appian. l. 1.

utroque populus, qui iisdem moribus censcebantur, originem quoque habuisse communem. Judaeorum populus Philosophi Syriæ appellantur (e); & Lacedaemonum sapientia ac in leges religio per universam latè Græciam celebrabatur. Si quid igitur uterque populus in eam persuasionem, ut se fratres haberent, inclinasset, facile tantà morum utrinque consonantiâ inspectâ in illa sententiâ obfirmarentur. Rem totam sedulo discutiendi neutri fortè sibi negotium susceperunt; nec facile dictum ad literarum rigorem accipiendum voluerunt. Neque enim res illa sedulum & literale examen exposcit.

Honorius Augustodunensis autumave-

rat, Cecropem urbis Lacedaemonis auctorem fuisse (f). Porro hanc Cecropem scriptis in historia cum Moyse confusum dicit Huetius animadvertit; ut proinde quae illius erant, huic facile tribuerentur. Sed haec omnia incerta sunt adeo & ambigua, ut certitudinis nihil, imò etiam veri nullam speciem huic necessitudini, de qua modò, addiderint. Quare optimum factum, si constitutam antea sententiam teneamus, nempe Judaeos inter & Spartanos necessitudinem rem esse incertam, nec ipsis quidem Judaeis Spartanisque tamquam certam aliquam exploratamque veritatem creditam.

f De Imag. Mund. l. 3.

# DISSERTATIO

## AN ARCA FOEDERIS TEMPLO restituta sit post captivitatem Babylonicam.

**I**n toto semel Deum inter & Israelitas foedere, receptisque à Judaeis datis à Deo & lapideis tabulis inscriptis Legibus, nihil in tota Hebraeorum Religione magis sanctum, ac venerabile præ Arca, custodiendis Sacris illis Tabulis destinata. Hoc apertissimum habebant Dei ad curas populi sui vigilantis argumentum, ejus opis certissimum pignus, & consuetum Divinorum prodigiorum instrumentum; nec aliis oculis Arca suspiciebatur, quàm Divinitatis Symbolum, & veluti superæ illius Majestatis thronus. Locus illi destinatus in penetrabilis Sanctuarii; quæ sanè pars erat Templi maximè sacra, & inaccessibilis. Nunquam nisi velaminibus tecta aspicienda permittebatur, concessio semel tantum in anno Summo Sacerdoti in sacra adyta ingressu. Coram Arca foedus cum Domino innovabatur; nec oraculis à Deo excipiendis alius erat quàm juxta illam locus destinatus; ejus tandem praesentia satis habere se munimnis, ne à quoquam vinceretur, populus persuadebatur. Is ergo erat in Arcam Domini Judaeorum cultus, & religio, ut nihil sibi ad obsequium reliquum fecissent, solo excepto Divinitati peculiari cultu, & adoratione. Deus Sacerdotum criminibus irascens, sacram dignitatem obtinente Heli, ut in manus Philisthaeorum sacrum illud religionis depositum veniret, permisit. Philisthaei prodigiorum gloria, quam oculati testes inspexerant, perstriciti, simulque gravem in se manum Domini experti ad Israelitas Arcam illam miserunt; mansitque inde diutius in Caritarim; ex quo translata prius à Davide in regias sedes in Sion à se constructas, tandem fedes illi in Templo Salomonis constituta.

Disert. Calmet. Tom. 1.

Porro Rex Salomon cum omnia à Moyse in usum Tabernaculi fabricata instrumenta in majus augenda curasset, Arcam tantum reliquit intactam, sacram adeò rem neque corrumpere, neque violare ullà factâ innovatione audens. Mansit igitur in Templo eà veneratione, & religione culta, quam maximè deceret, usque ad postremos Regum Juda annos (a), qui omnibus ad impietatem laxatis habenis, id tandem commiserunt, ut loci sacri religio Idolorum erectione deturparetur. Quam abominationem non ferentes Sacerdotes, sublatam sacrum pignus è Templo aliò atque aliò suffurati sunt, quò avarissimum aequè ac impiissimum Principum furori subducerent. Josias restitui Sanctuario iussit, cavens insuper, ne deinceps per regiones transferenda, quod antea factum constabat (b), educeretur.

Tandem aliquanto ante captivitatem Babylonicam Jeremias Propheta, jussus à Domino (c), Arcam & Tabernaculum Foederis in eo monte detulit occultandam, è cujus vertice Moyses omnem haereditatis Domini subjectam oculis terram spectavit [d]. Huc autem Propheta non Arcam tantum & Tabernaculum, sed etiam Altare Thymiamatis contulit, omnibus in spelunca solerter deinde oclusa celatis. Comitabantur virum sanctum Sacerdotes, qui locum sibi notare volentes, ut rei memoria servaretur, conquestum nunquam reperere. Curiositatis illos arguit Jeremias, futurum denuncians, ut locus ignotus omnibus maneret, donec dispersum populum suum Dominus iterum congregare, & veniam pacemque rogantibus indulgere dignaretur.

Talmudistae, quibus historia illa improbatur, narrant (e), Salomonem cum à Prophetis quibusdam vaticinantibus au-

a Usque ad Regnum Achaz, sive Manasse.

b 2. Par. 35. 3. Ponite Arcam in Sanctuario Templi, nunquam enim eam ultra portabitis. c 2. Macc. 2. 4. 9. d Deut. 34. 1.

e Vide Galatin. de Arcan. l. 4. c. 9. Ge. nebr. Chronolog. l. 2. &c. RR. Juda, &c. Abraham in Daniel. Mai. mon. alias.

disset, Templum à se ædificatum ab Assyriis tandem igne absumendum, cameram subterram defodiendam curasse, in qua, si forte necessitas ferret, preciosissima & sacra Templi abderentur. Ibi à Rege Josia celasam Arcam Fœderis, virgam Aaron, vas mannae, pectorale Summi Sacerdotis & oleum Sanctum; quæ deinde omnia in secundo Templo desiderabantur. Affirmant alii, Nabuchodonosorem Arcam unâ cum cæteris Templi pretiosissimis vasibus Babylonem transtulisse. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 2. S. Isidorus Pelusiota Arcam Fœderis & Cherubinos fractos dissipatosque ab eodem Nabuchodonosore tradunt, nec dissimilia legas apud S. Cyrillum Alexandrinum. Vide S. Augustinum. Malunt nonnulli, Manasse ante consecratum in Templo Idolum, Arcam inde amovisse, nunquam deinde loco sacro restitutam. In Gemarra Hierosolymitana legimus (f), quinque secundo Templo desuisse, nempe Arcam, Ignem caelestem, Urim & Thummim, S. Spiritum, & Oleum Sanctum. Ea pariter ita recenset Gemarra Babylonica (g): Arcam, Urim, Ignis caelestis, Majestas Divina, & S. Spiritus. Sperant autem, hæc omnia parente futuro Messia restitutura. Videtis Comment. Abarbanelis in Dan. 9. Ex variis hæc RR. opinionibus satis intelligimus, Arcam Domini post restitutum è captivitate populum nunquam rediisse.

Author quarti Esdræ cap. 10. 22. Judæos captivos querentes inducit, quod scilicet Arca fœderis direpto à Chaldæis Templo spoliolum hostibus cefferit; qua in re neque cum Rabbiniis satis, neque cum secundo Macchabæorum consentit. Sed cum Scriptoris hujus auctoritas nulla sit, cur ejus sententiam sequamur, nulla cogit necessitas. Sanctior est nobis fides Authoris secundi Macchabæorum, additam à Jeremia Arcam testantis. Admittimus pariter Prophetæ oraculum, quo ignota omnibus mansura Arca prædicta est, donec è captivitate liberatus populus in gratiam cum Domino rediisset. Tota superest quaestio, an Prophetæ oraculum illud impletum, & Arca secundo Templo restituta sit.

Qua in re tres feruntur sententiae. Sunt qui credant repertum sacrum pignus sub Nehemia, mansisse deinde apud Judæos usque ad subversum à Romanis Templum. Malunt alii, veterem illam Arcam semper in obscuro fuisse, ut ad nostram usque ætatem maneat occulta; sed ejus loco novam alteram in Templo substitutam. Tertia tandem sententia tenet, nullam seu veterem seu novam in secundo Templo Arcam repositam. Tandem sunt qui suspicentur, vaticinium illud Jeremiae de futura Arca fœderis revelatione, mysticâ quadam ratione in promulgatione Evangelii & manifestatione Jesu Christi in carne impletum fuisse. Singula modò ad examen. Qui Arcam fœderis restituito è captivitate populo rediisse defendunt (h), in suam sententiam pertrahunt Authorem.

f Gemar. Hierosol. Maccot. Vide Erichsmut Dissert. de non speranda Arca fœderis restit. g Tit. Joma cap. 1. & R. M. ebi in Pf. 85.

h Saliam. ad A. M. 3600. n. 85. Torniell. ad an. 3610. Menoch. bic. Canus de locis l. 2. c. 11. Ribera in Aggai 1. num. 14. Quanquam duo posteriores nihil certi affirmantes contrariam etiam opinionem admittunt.

secundi Macchabæorum, quem dicunt tacite idem insinuasse, cum post narratam ignis sacri inventionem subdit. deinde statim historiam Arcæ à Jeremia occultatæ. Ut quid enim alioqui eo in loco historiam retulisset, nisi ut insinuatet Arcam illam unâ cum igne sacro sese tandem quærentibus prodidisse? Equando aliâ fides Prophetici oraculi exsolveretur, prænuñtiantis: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi. & propitius fiat?* Nonne oraculo illo restituito populi è captivitate protus depingitur? Profectò sacrum illud depositum eo semper loco habitum est, quo res Templi maxime sacra, & veluti Religionis & cultus Judaici centrum. Quis in animum induxerit, populum literæ aded, & ceremoniarum tenacem, Arcam à Jeremia occultatam vel quærendam neglexisse, vel ejus revelationem à Deo non impetrasse, quo tempore Deus ipse præsentissimum, pro innovatione ignis sacri prodigium exhibebat? Quæ gloria & privilegium secundi Templi supra primum juxta Aggei (i) vaticinium, si Arca Domini gloria destituebatur? Jeremias, Propheta lata Messia & vocationis gentium ad fidentia tempora prænuñtians, ait: *Non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius.* Qui, rogo, signo illo certum adventus Messia tempus designaretur, si ante 600. annos Arca apud Judæos è desisset & è memoria penitus excidisset?

Reduces è Babylonia captivi facti sibi restituendi Templi spe erigebantur, iidemque se mutuo vocibus [h] invitabant, quibus olim Judæi, cum Arca in Templo à Salomone constructo collocaretur. Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tuae (l). Author secundi Paralipomenon, qui post solutam captivitatem scribebat, testatur suâ etiam ætate Arcam in Templo mansisse: *Fuit Arca ibi usque in presentem diem (m)*. Tandem sub Antiocho Epiphane Altare Thymiamatis, candelabrum aureum, & mensam panum propositionum in Templo fuisse luculenter asseritur (n). An fortè Arca Domini minus erat necessaria, eamque neglexissent Judæi, cum cætera minoris momenti aded curassent? Itaque si Epiphane Arcam fœderis cum cæteris Templi rebus non transtulit, id curæ Sacerdotum, qui consultò eam injuriam cautâ subductione à sacro illo deposito avertent, tribuendum. Cum Judæi coram populi concione in Maspha lectionem Sacrorum Librorum auscultaret, stetit illud coram Sanctuario habet Syriacus. Hæc potissima rationum monumenta, pro adstruenda Arca fœderis in secundo Templo afferantur.

Profectò testimonium secundi Paralipomenon controversiam omnem dirimeret, si certus illius Author Esdras haberetur. Sed Authoris esse ipsâ captivitate & everfione Templi vetustioris, multò verosimilius credendum est. Non ita quidem Libros Paralipomenon digessit Esdras, ut

Chronolog. l. 2. ad A. 3730. Vide & Hegeffippum l. 1. c. 17. ubi dicit Arcam & Cherubinos prioribus similes à Pompejo visos in Templo.

i Agg. 2. 4.

k Pf. 137. 8. qui unus est ex Gradualibus, scriptus, uti creditur, post solutam captivitatem. l. 2. Par. 6. 41. m. 2. Par. 5. 9.

n r. Marc. 1. 23.

omnia quæcumque ibi leguntur, ipsi ferantur accepto. Sequitur enim & transcribit nec rarè veteres & coævus Authores.

Ad superiorem opinionem referenda, videtur altera sententia de substituto in Templo novo Arca typo ad exemplar veteris amissæ. Utamque illam opinionem, Judæorum scilicet, qui non desuisse secundo Templo Arcam Moysis defendunt, & Catholicorum quorundam, qui restitutam negant, ita conciliandam sibi Genebrardus assumit (p).

Recepta tamen & frequens tum apud Recentiores, cum apud Veteres sententia tenet, Arcam ita in occulto mansisse, ut secundi Templi religioni deesset. Vaticinium illud Jeremiae 3. 16. quo scilicet spondet futurum, ne ultra dicatur: *Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor*; vaticinium illud, inquam, pronomagis & vulgari sensu de tempore captivitati Babylonicæ succedenti exponitur à Judæis, Theodoreto, S. Thoma, Hugone Cardinali, & Sanctio; tunc enim omnem de Arca Domini sermonem & memoriam cessaturam edicit Propheta. In hæc sententiam concedunt Pseudo-Epiphanius de vita Prop. Jerem. Dorotheus in Synopsi. Filius Gorionis lib. 1. cap. 17. Patres nonnulli & Theologorum nostræ ætatis plures (q) his potissimum argumentis persuasi. Silentium Esdræ, Nehemiae, Macchabæorum, & Josephi maximi est in eam rem momenti; nihil enim apud illos de Arca, cujus meminisse non semel dabatur occasio; ut puta cum de Templi dedicatione sub Nehemia ageretur, sicut & de ejus expiatione sub Juda Macchabæo; cum de restitutione sacrorum post solutam captivitatem; cum de prophanatione & direptione vasorum sacrorum sub Epiphane; cum de incendio Templi sub Tito, & omnium maxime in recessione spoliolum Templi Hierosolymitani sub Epiphane, Pompejo, Craffo, & Tito. Equid enim maxime inter spolia recenteri debuisset, quàm Arca fœderis? Disertè etiam testatur Josephus, in direptione Templi post captam Jerusalem vacuum omnino Sanctuarium patuisse (r). In descriptione triumphi Vespasiani & Titii solemnem ceremoniam delata quidem leguntur mensa aurea, & septiforme candelabrum, ac tandem, ait Josephus [s], *portabatur Lex Judæorum novissima spoliolum.* Quibus verbis facile volumina Sacrorum Librorum designat.

q Serar. in 2. Marc. 2. q. 17. 18. Villalp. 10. 2. par. 2. l. 5. c. 70. A Castro in Jerem. 3. 2. 20. Porchet n. par. victoria cont. Hebr. c. 7. Galat. in l. 7. c. 4. Tostat. in Exod. q. 2. & 14. & in Deut. 10. q. 2. & alibi. Lyra. Richar. à S. Viâ. Rupert. Carthus. Mariana, Tirin. & alii non pauci.

r De bello l. 5. c. 14. in Græc. l. 6. c. 6. in Latino.

s Ibid. l. 7. c. 17. t Hegeffipp. l. 1. c. 17. u Pet. Comest. Hist. Judic. c. 3. x Marlian. de Arcu Titi l. 3. c. 6. Vide Bartholoci Bibl. Rabbin. 10. 3. pag. 157. Torniell. ad A. M. 2885. y Ribe. in Aggeum 1. Villalp. alii plurimè.

tionis asserunt; quod maxime insinuat Josephus, scribens, postremo loco Legem Judæorum in pompa triumphi delatam. Porro quod illi Arcam autumarunt, Arcam quidem exhibet, sed verosimiliter eam formam referebat etiam mensam panum propositionis five Altare Thymiamatis, cum in pompa candelabrum aureum præcedat. Nec satis morari nos debent ea, quæ Authoribus nonnullis de servatâ hodie Romæ Arcâ fœderis, veluti sacro aliquo monumento, traduntur. Summa est quidem nobis erga sacras reliquias observantia; sed iniquum videtur nullo prævio examine recipere, quod nullo demonstratum argumento traditur.

His omnibus accedit Veterum auctoritas, secundo Templo Arcam fœderis desuisse asserentium. Narrat Pseudo-Epiphanius in vita Jerem. sanctum illum Virum imminente Templi everfione prævisâ, Arcam fœderis, ut supra etiam innuimus, in caverna quadam occultasse, oblatisque Deo precibus impetrasse, ut illa hiscente subito terrâ absorberetur abscondereturque. Tum versus ad Sacerdotes & Seniores Propheta, ait: *Deus è Monte Sion in Cælum ascendit; unde statâ die caelestem secum exercitum trahens descendurus est, cuius adventus signum erit cultus ab omnibus per orbem Nationibus memoribus impensus.* Adjeicit insuper, nemini deinceps locum occultatæ Arcæ Domini referendum, nisi Moyssi Prophete Domini. Sicut omnibus quæ Sacerdotibus quæ Prophetis tabulas ibidem servatas occlusum iri, præter quàm Aaroni electo Domini. In prima verò resurrectione, ait, Arca è latebris sese efferens in monte Sina constituetur, & circum eam coadit viri sancti regredientem Dominum, & in defensionem ejusdem Arcæ adversus hostes illi insidiantes venientem opperientur. Tum vir sanctus petram illam sigillo suo obsegnavit, digitis in illa suis Dei nomine ita insculpto, quasi si ferro impressisset. Dum hæc agerentur, statim nubes quædam tenebrosa impressas nominis Dei literas eâ caligine texit, ut ne hodie usque appareant. Quare ignotus est omnibus locus, & nemini lectio Divini nominis concessa; cum tamen singulis noctibus micare super antrum nubes illa lucida consociatur, quasi hoc indicio designans, Dei gloriam nunquam Legem suam deseruisse. Sita est autem spelunca intra duos montes obitu Moyssi & Aaronis inclytos.

Dorotheus, qui S. Epiphanius historiam exscripsit, paria de Jeremia refert. Author Commentarii in Macchabæos sub S. Thome nomine vulgati, & Richardus à S. Victore lib. 4. except. cap. 11. illis omnibus ad stipulantur.

Fatemur quidem non inviti, historiam hanc omnem fidei esse sublextæ, nec severioris examinis quaestione sustinere, plures ex Scriptoribus demonstrarunt; sed illa quidem satis indicat veterem opinionem, veluti traditione quadam mansisse apud Judæos ad Christiana sacra translatos. Josephus filius Gorionis (z) vir Judæus, l. 1. c. 17. qui

z Jos. Ben Gor. l. 1. c. 17.